Ludowicus dei gratia Romanorum Imperator semper augustus. Ad memoriam subscriptorum Imperialem prudenciam cui deo instituente
tocius reipublice cura commissa est huius sollicitudinis subministratores assumere convenit, viros gnaros timentes deum, agendorum expertos atque
sollicitos, certos non fictos Imperii et Imperialis culminis zelatores, talem vero per omnia certitudinaliter fore perspeximus. Honestum virum discipli
natum et morum gravitate maturum Johannem de Gendino devotum fidelem nostrum dilectum. quemadmodum dudum hactenus et impresenciarum etiam
ipsius tam sermones quam gesta et opera manifeste demonstrant. Eius ergo meritis inspectis, et diligenter pensatis, reipublice comodo nostri honorificen
cia nostro et Curie nostre ab ipsius presencia decore maiori, utque etiam ceteri sue promocionis exemplo virtutibus intendere, ad reique publice utilitatem
Imperii et Imperialis apicis procurandum honorem et statum curas vigiles et operas efficaces aponant prefatum Johannem in nostrum Secretarium
sive consiliarium assumpsimus ipsumque nostrorum familiarium domesticorum consorcio annumerari fecimus et ascribi. Tenore siquidem etiam presencium quamdiu
vixerit Curiamque nostram sequi voluerit Concedentes eidem locum sive hospitium in nostra Comitiva victum ex nostra Curia pro se ac tribus familiaribus
et pabulum pro tribus equis iuxta consuetudinem Curie nostre seu Imperatorum Romanorum hactenus in talibus observatam. Precipientes et expresse man
dantes Officialibus omnibus Curie nostre qui ad predicta distribuenda et assignanda pro tempore statuti fuerint, ut eadem sepedicto Johanni aut eius famili
aribus vel nunciis integre studeant assignare. Que vero ad necessitatem atque comoditatem pertinent in vestibus et huiusmodi reliquis disposicioni
nostre reservamus, eidem Johanni ac ipsius familie providendi decenter, Usquequo demum pro predictis eiusdem Johannis necessariis et comodis de certis reddi
tibus et in certo loco duxerimus uberius providendum. In prescriptorum autem testimonium atque noticiam presentem hanc paginam nostri sigilli iussimus
et fecimus appensione muniri. Dat. Rome apud sanctum Petrum xiiij die mensis Julii. Anno domini. Millesimo. Trecentesimo. Vicesimo octavo.
Regni nostri Anno Quartodecimo. Imperii vero Primo.